


P V I S



1 6 0 3

EYXAPIΣTIKON
PRO CHRISTIA

NO RECENS NATO PRINCI-
pe, filio Illustrissimi Principis, ac Domini, DOMINI IO-
ACHIMI ERNESTI, Principis ANHAL-
TINI, Comitis Ascanie, Dominiq; Ser-
uesta, & Bernburgi &c. Domini
sui clementissimi.




y.

WITEBERGÆ EXCVDEBAT
IOHAN: SCHWERTEL:

ANNO M. D. LXVIII.



EXAMINATION
PRO CHRISTIA
NO REGIA NATO PRINCI
ACHIMI FERSTLINDER ANHAL
THE COUSIN OF THE DOMINICAN
OF S. DOMINGUS DE PRINCI
ARCHBISHOP



IN THE ERG. EXC. DEBAT
JOHANN SCHNEIDER
LIXXO M. D. LXXIII



ΕΥΝ ΘΕΩΙ, ΑΝΕΥ

ὅτ' οὐδείς ἔτιχέι βροτός.

EN pia fert animus depromere gaudia corde,
Atq; nouum tenui partum deducere versu.
Spiritus alme **DEVS** feliciter annue cœptis
Desuper, huncq; etiam clemens pater aspice partum.
Tuq; vel inprimis ô, balbam dirige linguam,
Nate **DEO**, Vatum diuine Magister, & autor
Te sine nil cœptat mea Musa salubriter vnquam,
Te sine nil audet proprio sibi sumere motu.

Vrbs antiqua iacet Salæ spumantis ad vndas,
Nomen ab Arctoo pulcrum quæ sidere traxit.
Non procul inde focos Sorabi tenuere feroces,
Iam Saxo pulsus prædonibus incolit agros.

Hic domus Ascaniæ multis dominatur ab annis
Clara ducum gestis, & sanguine stirpis auitæ.
Quæ generis referens virtutem, & patria regna
Summo accepta **DEO**, dulcis nutricula Christi,
Heroum factis hinc vsq; ad sidera nota est.

Vsq; adeò vt numeris tentes si condere fastos,
Quisquis es, alta sequens tantùm fastigia rerum,
Experiare, viri non vnus esse laborem.

Haud nunc Ascaniæ Comites ab origine prima
Deduxisse licet, quorum antiquissima stirps est.

A 2

Quis

Quis sit Anhaltini, cuperem pertexere fando,
Nominis, ac sceptri pius ortus, & incrementum :
Sed minimè balbis tam conuenit esse disertis.
Nuper & admonuit, vellens mihi Cynthius aurem :
Ima teneto puer, deductum dicito carmen.
Qui iuga summa petant, sat erunt : tu viribus impar.
His ego (namq; pium) iussis parere paratus,
Non Alberte tuas, dux inclyte, dicere pugnas,
Non famam, nomenq; per ardua facta repertum,
Non erecta tibi sæuo hoste Trophæa fugato,
Instituam, nec quos magna cum laude triumphos
Duxisti Sclauis partos Sorabisq; subactis.
Omnibus his impar. Sed erunt, qui dicere laudes
Vrse tuas cupiant, & fortia condere bella.
Interea raucas tamen exaudire palumbes
Non erit absurdum: sic te dux magne Georgi,
Et VVolphgange tuum nomen, dum spiritus artus
Hos reget, haud vnquam nostræ memorare Camœnæ,
Fas erit, Alberti generatos sanguine, cessent.
Nam virtute licet sit vterq; tibi Vrse secundus,
Nec minus ingenij res gestæ vtriusq; requirant:
Non tamen horum vlllo reticebo tempore laudes.
Quippe vetat pietas: quia enim pars nobilis ocij
Maxima, quo fruimur, ductoribus hisce parata est:
Quæ foret impietas, caperent si obliuia mentes?
Hinc VVolphgange tibi quoties iunctū patruele
Nunc

Nunc etiam intueor, postquam vos Parca quieti
Reddidit, en Mosen recolo cui iunctus Aaron.
Alter enim sacra iussa Deo facit, alter honestas
Fert leges, regit atq; viros, & pectora mulcet.
Nec fuit his vnquam vel bello maior, & armis,
Vel virtute animi, pietateq; iustior alter.

Haud aliter (si parua licet componere magnis)
Pax *V*olphgange tibi, pietas tibi mysta Georgi
Tartareos contra Stygis est defensa Tyrannos.
Miles vterq; acer, subiens duce praelia Christo:
Pro grege, proq; sacra diuini numinis ara,
Viribus, ingenio, manibusq; armisq; parati.

Quantus eras *V*olphgange ruens armatus in ho-
Tantus erat zeli feruore Georgius Heros: (stem
Ore potens, pietate grauis, nec moribus asper,
Pectore sublimis, tum seruantissimus equi:
Quem non pœnituit *V E R B O* triuisse labellum,
Grande nec erubuit meritum resonare Tonantis,
Sed fuit ingenuè Christum profitentis imago.

Ergo inter noctis velut Hesperus emicat ignes,
Lucifer aurora qualis redeunte refulget:
Talis erat quondam, *V*olphgange, Georgius Heros,
Diuerso quanquam, tibi iunctus in ordine vitæ.

Tu Christo hospitium præbens, paruaq; sarepta,
Finibus arcebas, quæcunq; habet organa Pluto.
Templa, scholasq; opibus, studioq;, animoq; iuuabas,

A 3 V/9

Vsq; adeo vt nemo hac tibi laude sit equiparandus.
Ille sed astutum totus vigilabat in hostem,
Excubias spe fortis agens, pro lege, focisq;
Atq; lupum verbo superans, remouensq; Baalim.

Ergo odio accensus tanto in vos Cerberus amens,
Et Caci domus insanit, rasiq; manipuli
Sacrificum, monachiq; sues, vt scilicet ima
Ascanie gentem cupiant cum stirpe recisam.
O fortunati, Stygius quibus inuidet hostis,
O miseri, quos non mordet canis ore trifauci
Horridus allatrans, tenebrosi ianitor Orci.
Ridet enim stolidos conatus **RECTOR** Olympi,
Defenditq; modis sua dulcia pignora miris.
Quin licet ad tempus iactandam gurgite in alto
Det ventis, segni quasi claudens lumina somno:
Non tamen oppressam submergi protinus vndis
Fert cymbam, dicto citius sed cuncta serenat,
Et vana fluctus spe ludens, temperat equor.

Sic postquam Stygis atra cohors, & turba colu
Stirpis Anhaltinae sensit sterilescere ramos, (bri,
Nequicquam exultans vanas spe concipit iras,
Atq; sibi pleno iam iam promittit hiatu.
Vindictam, rabida dum talia voce minatur:
Ergo iaces tandem domus improba stirpis Anhaltæ,
Romanis dudum patribus genus, atq; Draconis
Fascibus inuisum, quos debellare furenter

Præ

Præclarus cupijt tuus iste Georgius Heros.
Nempe tibi raros dabitur numerare nepotes.
Nam ruis, ecce ruis, fulcris malè nixa caducis.

Talibus insultans perfricta fronte Tyrannus
Iamq; inhians prædæ, iam colla tumentia tollens
Vindictam infido vanam sub pectore versat.
Namq; ferox intus crescebat Spiritus angui:
Haud secus, atq; ducis quondam stirps regia Iessæ
Flaccescens, dubiam minimè spem mouerat hosti,
Non fore, qui posthac sibi destruat atria regni.
Dum furit atq; dolis, & cædibus omnia complet:
Infelix, qui plus non viribus OMNIPOTENTIS,
Quàm sibi, quàm nostro generi, causisq; secundis,
Attribuit, cælum quem nouit, & astra tueri.

Interea tamen Ascaniæ domus inclyta Christo
Seruit, & æterni quæ sit patris alma Voluntas
Agnoscit, qui sæpè pijs suspendere prolis
Spem solet, vt discant, genus vnde sit omne nepotum.
Sollicitentq; DEVM caro pro pignore lecti,
Neu sibi confidant, nimium, sed numina cæli
Laude vebant, casteq; colant, venerentur; adorent.
Adde, quod ingenuos non vult præferre parentes
Fluxa bonis Christi, sacra tot per vulnera partis.
Sed potiore prius cælestia quærere cura:
Post, reliquas discant in lucro ponere dotes.

Hæc domus Ascaniæ solerti mente reuoluens
Agnoscit

Agnoscit, recti sibi conscia, criminis expers.
Ac licet imperij Christo summittere fasces
Atq; reposcenti sunt sceptrum relinquere prompti
Haud tamen ignorant, quid vota fidelia possint,
Quidue preces valeant, quam sit miranda precū vis,
Quas non summo arcet nubes densissima cælo,
Sed patris ad solium, duce te Paraclete, penetrant,
Spe fultæ Christi, frustra remorante vel Orco,
Inq; sinum effundunt largo suspiria fletu,
Nec prius absistunt, ope quam potiantur opima.

Ergo etiã Ascaniæ duo fulcra nouissima fratres,
Et castæ Domine, matrum iam nomine lætæ,
Ad pia confugiunt ardenti pectore vota,
Debita vota DEO, summo gratissima patri:
Exorantq; patrem. Certæ, exorasse parentem,
Tunc etiam, (sanctæ tanta est fiducia menti)
Spes cum nulla super, nisi inanis, debilis, expes.
Tunc etiam afflictis melius confidere rebus
Non dubitant, certamq; animo sperare salutem.

Hæc sed ante alios princeps sic orsa precatur,
Suppliciter, gemitus dans, pectus tuncsaq; palmis:
Cum sibi, tum poscens affini pignora CLARÆ.

Summe pater, sator ô hominū, qui fulmine terres,
Qui mare, qui cælum, qui terram & cuncta creasti:
Iusticiæ regis immotis qui legibus orbem,
Vnus es alme DEVS, patefactus in ordine trino,

Quis

Qui facis effetas, numerosa prole parentes,
Qui proprio vultu moderaris, & omnia seruas.

Tu pia quæ macerent famularum pectora curæ,
Sis licet ignarus minimè, tamen esse videris.

Sancte pater famulas crucifixi respice nati.

Meq̄, meamq̄ vides CLARAM, quas fratribus amo

Dulcibus intactas, primis iunxere parentes (bas.

Ominibus: casti da pignora mascula lecti.

O pater hac etiam da surculus arbore surgat.

Vt tua perpetuò nostræ sit tuta sub alis,

Iam Lybia, atq̄, Asia, iamq̄, ipsis penè Britannis,

Pulsa sarepta, domus: ne totius exulet orbis

Finibus, aut sæui tam culta noualia prædam

Accipiant hostes, spurcantes vulnera Christi.

O gentis miserere tuæ, paruaq̄, sarepta.

Oscula non tanti facimus modò figere natis,

(Quamquam ô:) sed superat dulces in pectore storgas

Regnorum affigens scopulis Ecclesia nidos.

Hinc addit votū: DEVS optime maxime natos 1. Sam. 1.

Si dederis, famulas dignatus munere tali,

Si miseras oculis tandem respexeris æquis,

Nec pater oblitus mæstas neglexeris vltro:

Si memor innati diuino in pectore amoris

Ancillas tandem patrio miserabere vultu:

En tibi, quos dederis, gratæ reddemus eosdem,

Iusticiæq̄ sacerdotes, viduisq̄ patronos,

B

Atq̄

Atq; patres patria, nostro de sanguine natos
Et tua qui cumulent memores altaria donis,
Educemus, ait, fidos tibi Christe ministros.
Semper & hospitio tibi mania nostra patebunt.
Hæc ubi vota precans summo obtulit Hagna parenti
Ingemit: & lacrymæ non passæ plura querentem
Largo humectabant orantis flumine vultum:
Sed tamen euentum patri indubitata relinquit.
Quid facimus, pubes quibus est commissa Minerva?
Non certè siccis oculis, aut corde silenti
Aspicimus pulcro raros in germine flores
Ipse ego (vera loquor:) tenera cum pube iuuentæ,
Pro facili partu, fecunda proleq; patrem,
Proq; scholæ hospitio, præsepibus atq; Sarepta,
Ardenti quoties conuenimus ore precati,
Vim facimus votis, (ea vis gratissima patri est)
Sicq; φιλόσοφος superamus voce parentem.
Nam puer haud frustra nil proficientia perdit
Murmura, sed rata sunt lætentium vota, precesq;
Ergo statim vultu genitor, quo cuncta serenat,
Annuit, aspiciens manantia corde precantum
Supplice vota Deus: triplici dū pignore MATRES,
De maio in maium, cum formosissimus annus
Vere nouo, geminas anno fecundat eodem.
O pater ô tanto tibi quid pro munere reddam?
Hagna parens inquit: dignas persolvere grates
Non

Non opis est nostræ, pater accipe mente benigna
Reddita vota tamen : calicem libabo salutis,
Atq; tuum nomen repetens in vota vocabo.

Sic præfata, memor quibus olim numina verbis
Sollicitarit, onus nondum sub pectore gestans:
Lætitia perfusa pium nunc concinit hymnum.
Quis Domini similis, qui nubibus insidet altis,
Et loca perlustrat pedibus simul infima terræ?

I. Sam. 2.

Hoc duce puniceus redit ad præcordia sanguis,
Dulciaq; exhaustæ mihi venæ pabula lambunt.
Iam mihi post gemitus tandem data copia fandi.
Ac pia dilatant marcescens gaudia pectus.

Nam lætum in Domino, modo mæsta, reporto triumphum
Ergo super vanis meritò nunc glorier iris (phum
Hostis acerbe tuis: mentem sed gaudia vincunt,
Ut minimè libeat tua probra insulsa referre.
Tu Deus ante alios vnus sanctissimus omnes
Qui mea non reprobas animo deprompta gementi
Vota, sed vltra animi votum dimittis onustam,
Atq; tua immeritam, tanta bonitate, coronas.

Ergo quid incassum tumidus vas Spiritus inflat?
Quid iuuat æternùm mores iactare vetustos?
O stupidi, & sano turbati pectoris vsu.
Quin animos humiles regi summittite Christo.
Consilia in melius referentes, ponite fastum.
Nō homo, sed DEVS est, qui cœlū, et cūcta gubernat

B 2

Nec

Nec dabit euentum, licet impia plurima voluas:
Qui renes hominum scrutatur, & intima cordis.
Haud quisquam potuit superum quia fallere sensus.
Letifer inq; manu robusti concidit arcus,
Robur at infirmi validis iam viribus auctum est.
Adde, quod ex multis credet vix millibus vnus:
Quis modò frumenti largi non copia deêrat,
Ecce famem sedaturi seruilia tractant,
Rursus & vbertas felix iam nutrit egentes,
Ipsa fames miseras exercens, pulsa recessit.
Sic modò fecunda iactans se prole beatam,
Eheu, ceu pingui, sterile scit, semen in aruo.
Ast pater ipse poli mollem cui clauserat aluum,
Dum sedet, atq; imo suspiria corde reducit,
Lucinae nondum caros experta labores,
En tacitum sentit recubans sub pectore pondus:
Et pulcros casto pariens de sanguine natos,
Iam genitrix inter, ceu vitis, regnat oliuas,
Exornatq; sacro cumulat as munere mensas.
Mirifica siquidem DEVS omnia lege gubernat:
Qui premit, vt re leuet: necat, vt vitæ impleat aura:
Ad Stygis extrudit tenebras, vt ad astra reducat:
Tum creat ipse inopes, largo vt cum fœnore ditet,
Suppetiasq; ferat rebus non asper egenis.
Deniq; prostratum fœdo de puluere tollit:
Erigit oppressum, limiq; abstergit arenas,

Vt

Vt reges inter sedeat, qui iura ministrant,
Atq; throni tandem fasces, & sceptrum capessat.
Namq; Deus pulcrum longè, lateq; per orbem
Regnat, & in manibus superi sunt omnia regis.
Quippe polos stabili rutilos qui cardine versat,
Atq; cauo iussit pendere sub aere terram:
Ipse tenet mundi fines, ac totius orbis,
Et nullo super imposuit fulcimine terras.

Qui solet ipse pijs, tristes auertere lapsus,
Sanctorum prone custodiet, impete cursus,
Seruabitq; pedes, dum, quos amat, aspera calcant,
Nec feret, vt lapsu rapiat via lubrica plantas.
Ast quibus impietas manet imis fixa medullis,
Nec cordi, tandem laeuam, est, deponere mentem:
Hos pudor, atq; tremor tenebris torquebit abyssi,
Et sua distortos confundent crimina fontes.

Hic robur pressis, hic murus abeneus esto.
Namq; nisi in Domino sit spesq; fidesq; reposta,
Viribus incassum, vanaq; tumescis opum vi.
Ipse suos, quamuis, subigit dare terga, feroces,
Et super heu rigidos, in nubibus intonat, hostes.

Quin DOMINI stabunt tandem celsum ante tri-
Terrarū fines, viui, & genus omne silentum, (bunal.
Ad Stygiasq; inhians tria, Cerberus, ora paludes,
Ipseq; Rex Erebi nigra stipante caterua:
Quicquid & immensus vastis habet orbis in oris.

B 3

Tum

Tum REGI imperium, regniq; insignia fasces
Ipse suo tradet, CHRISTIQVE perennia regis
Sceptra, thronosq;, poli nitidas super euehet arces.

His offert HAGNES precibus sua pignora
Atq; salutiferi loto Baptismatis vnda (PRINCEPS,
Infanti pulcrum Christi de nomine nomen,
Somnis docta, dedit. Nec enim sunt vana piorum
Somnia. Des genitor fausto gerat omine nomen,
Nomine, reg; sonans, & vita, munia Christi.

Sic verò alloquitur dulces super omnia natos:

Viuite felices castissima pignora lecti,
Viuite, sed Christo cælorum viuite REGI.

Talia, quo potui raptim describere metro,
Vota piæ matris, princeps tibi parue notavi.

Accipe Musarum nullo munuscula cultu,
Maiorumq; regas olim virtutibus orbem.

Et Christi magnum nunquam obliuiscere nomen.

Tuq; etate prior dulcissime Iane GEORGI
Et patris, & patru virtutes exprime, auig;

Inuidia Stygio rumpantur vt ilia Codro.

Hospitiq; fove Christum, musasq; perenni:

Iusticia gentes frenans, ac legibus VRBES.

Sic vos viuendo longæui secula Adami,

Secula primæui (sic fas) superate parentis.

Diligit vtq; parens natum, λόγ' & ipse parentem,

Flaminis atq; ambos vnius copulat aura:

Sic

Sic foueas patruo genitos Franciscæ Georgi,
Maeste puer, clari soboles præclara parentis:
Cui vitæ medio, lux contigit inter vtrunq;
Sic non inuisus carpes cœlestibus auras
Vitales, populi gratus nutritor egeni.
Sic vitam superum perfusam luce perenni.
Accipere, Heroasq; inter gestare coronam:
Sic diuis proauos, & cernere fratribus olim
Æthereis mistos, nec non miscerier illis:
Sic tandem dabitur conuexi limen olympi
Sub pedibus, nubesq;, & sydera celsa tueri,
Atq; sedere poli super alto vertice iustis. AMEN.

M. Volphgangus Amlingi, Seruestæ ad
diuum Barthol. Ludimoderator. F.

ANNVS.

In Christo Vincens ECCLESIA sancta triuMphat:
Adde TRIA, & numerum collige: certus eris.

α φ ξ η

EX PSALMO. XCII.

Ὁυ κρείσσοντι βροτοῖς, οὐδ' ὡς πρέπει ἀνδράσι ἄλλοι,
ὡς διὰ γ' ἰνλογίας τὸν νομα θεῶν ἄγειρ.

QVIS fortIs? SOLVS DoMINVS.

M. D. LXVIII.



Jf 4600


ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

V077





B.I.G.

Farbkarte #13

XXIV.

23/.

APISTIKON
CHRISTIAN
NS NATO PRINCI.
*Principis, ac Domini, DOMINI IO.
RNESTI, Principis ANHAL-
nitis Ascania, Dominiq, Ser-
& Bernburgi &c. Domini
sui clementissimi.*



y.

RGÆ EXCVDEBAT
: SCHWERTEL:
X. D. LXVIII.

